



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 88. Miserrimus Franciaë Status eo tempore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. Verum Curia in hujus Ducissæ favorem suam pronuntiabat sententiam.
A C 1589.

§. LXXXVIII.

Miserrimus Franciæ Status eo tempore.

Davil. i. 10. Insuper ceteræ Gallici Regni Urbes brevi Parisiensium exemplum sequebantur, atque intra exiguum temporis spatium tumultuum flammæ continuantur veluti incendio universam Franciam invadebant: præterea ubique loca prius deserta munimentis firmantur, ea autem, quæ jam munita erant, occupantur, in carceres traduntur divites, ipsi etiam popularibus bona sua eripiuntur, cunctaque nec habita justitiæ ratione, spretaque juris, aut jurisdictionis religione sus, deque vertuntur: interrumpitur commercium, obsidentur viæ, arma conclamant Nobiles, populus, atque Ecclesiastici a militibus vexantur sub prætextu, quod aut Calvinistæ vel regis partibus addicti essent, aut sacræ unioni adscripti, ac fœderati forent: denique una omnes furente infamia correpti ad communem patriæ ruinam cunctis viribus concurrunt.

§. LXXXIX.